

Multa cultura incommoda.

nue laborantes, etiam ubi folij istius copia est nulla, communibus alimentis vegetatos.

140 Præterea. In cultura dicta multa admilcentur incommoda. In primis enim solum, quod planta ista requirunt, & aer congenius, ob feruorem nimium, Indorum est valde exitiale salutis. Deinde, multas à dominis prædiorum huiusmodi patiuntur iniurias, dum acerbè vexantur, & in conualle illud lacrymarum deducti, & gerrimè permittuntur exire. Item, quæ ad fidem & Christianos mores spectant, pessimè dispensantur. vix enim est Sacerdos, qui apud eos velit diutius commorari. Quod quidem in præcipuâ cultura, huiusce prouincia ita accidere fideli relatione perdidici: de quo & P. Sacchini Lib. 2. citato num. 301. ita scribit: Sunt ea iuga propter asperitatem in hospitalia, & conuales proxima propter aeris inclementiam, & incubantis caloris vim, valetudini permittosa. Tamen quia nihil imperium, nihil formidolosum auro est, cum Coca ibi proueniat, cuius quasi solum commercium in Peruvia est, valde ab externis & indigenis celebratur. Ceterum quia non tam multos diuina quam humana inuitant lucra, inopia Sacerdotum nunquam serè Diuinis de rebus ibi sermo auditur. &c.

P. Sacchini.

Ad diaboli cultum adhibetur.

141 Tandem, folia dicta ad superstitiones & Idolorum sacrificia ab Indis frequenter assumuntur; & diabolo per eam cultu sic proculdubio agente, abusus illa fumendi ad Hispanos, feminas præsertim, est infeliciter peruagatus, malorum complurium origo detestabilis comperitur, vt opus fuerit Inquisitorum censuram nonnullos in hac parte reos iudicialiter experiri.

Ob decimarum accretionem minime promouenda.

142 Neque obiciantur Ecclesiastici ex cultura huiusmodi decimas non parum augeri, & ita promouendam illam Indorum distributione. Huic enim obiectioni Canonicum Ius ex directo se opponit, dum in Regula 48. sic habet in 6. Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura. Accedit in Consilio Limentis 2. Anni 1567. Parte 1. Can. 124. Patres contra vsum talem insurgere, & Gubernatores hortari vt Indos ab isto labore submoueant, vel saltem ad illum nulla ratione compellant. Reddunt autem rationem his verbis: Quia Coca res est sine vilitate, & valde apta ad abusum & superstitiones Indorum: ex cuius comestione paruum habent fructum, & multos ex cultura labores, illiusque occasione multos perisse, & etiam nunc perire. Sic illi. Quod ergo sic visum est Peruvia Ecclesie Primoribus, non debent alij, in eorum suffecti locum, minus conueniens estimare. Et si illi quidquid futuram commodi in huiusmodi commercio posthabendum censuerunt, idem etiam successores bono spiritu duetos conuenit posthabere.

Regula, Locupletari.

Concilium 2. Limentis.

143 Sed quæstio hic ex dictis oboritur. Cum enim dictum sit Coca quamplures abuti, & ad superstitiones, aliaque graui facinora eadem assumi, non videtur licite vendi posse, ne sic vendens alterius peccato communicet, sitque illius causa, & consimili reatu teneatur. Quæ difficultas per ea videtur expedienda principia, quæ circa rerum indifferentium venditionem apud Doctores occurrunt, vt aduertit Ferdinandus Zurita in Enchiridio Quaestionum Indicarum Quæst. 30. Proposit. 3. Et communis resolutio est affirmatiua; quando tamen, licet indifferentes

Coca an licite vendi possit.

Iuxta doctrinam de venditione

sint, non creduntur hic & nunc ad pratum vsum comparari: aut talis sunt generis, quod regulariter loquendo ad pratum vsum applicentur: tunc enim, nisi grauis subsit causa, vendi nequeunt. Circa quod tanta est in Auctoribus varietas, tot exceptiones, aut ampliaciones, vt vix quidquam iuxta illos firmum statui possit, quod scilicet aduersantes se non habere possint gloriari. Pro quo præsertim videri possunt Societatis Auctores, de Charitate vti & de scandalo differentes, & etiam de Contractibus; qui sunt sanè permulti, & præterea alij, de quorum placitis agit Diana Parte 1. Tract. 8. Resolut. 41. Parte 3. Tract. 5. Resolut. 36. & Tract. 6. Resolut. 44. Parte 4. Tract. 3. Resolut. 60. Parte 5. Tract. 7. Resolut. 36. & seqq. & in Additionibus ad Tractatum curatum.

Indifferentium concludendum, que fixa non est.

144 Potest ergo Coca vendi, cum res indifferentens sit, & ita vti receptum, in publicis enim tabernis exponitur. Quod ex multorum doctrina deducit Dom. Solorzanus supra n. 17. & seqq. & in Politicâ pag. 117. & Ferdinandum Zuritam specialiter adducit num. 20. vt omnimodum Assertorem: cum tamen ille solum dicat sæpissimè licitam esse venditionem, non tamen semper. Iuant autem pro eodem, quæ habet Quæst. 39. circa tributum in deorum cultum verosimiliter expendendum. Et de venditione, cum Indi emunt, nullus esse scrupulus debet, quia illi ipsa ad bonum naturæ frequenter vtuntur. Quod & respectu aliorum dicendum; etiam si suspicio sit ad vsum non bonum assumi: quando illa, vt diximus, publicè exposita est: si enim negetur, frequentium erit dissidiorum occasio, & ita rationabilis est causa non negandi, quam sufficere ad hoc multi, ex citatis, Scriptores tradunt. Si autem non sit publicè exposita, & negari sine mendacio, ac iurgiorum causa possit: si videlicet qui vult emere, nesciat à tabernario haberi illam in secretiori tabernæ parte; videtur dicendum juxta communiter receptam doctrinam, non posse vendi prauè furo, aut de quo est verisimilis conjectura. Iam enim hic alieno peccato sine momenti aliquis necessitate communicat.

Potest vendi omnibus, quando est exposita venditioni.

Si non sit exposita, non semper licet.

145 Vbi duplex esse euasio potest. Prima, volentem emere jam esse ad peccatum à se ipso determinatum, & ita non esse locum cooperationi: quia juxta communem & receptissimam sententiam, actus externus non addit nouam malitiam interno. Secunda, eum, qui ab hoc non emerit, empturum ab alio, & ita negatione non euitari peccatum. Propter quam rationem aliqui sic opinantur, sed non bene.

Euasio duplex.

146 Et quoad Primam, quæ est Emmanuelis Roderici Tomo 1. Summa Cap. 23. num. 8. Ledesma in Summa Tomo 2. Tract. 27. Cap. 2. Dub. 4. Pro quæ & Diana Parte 11. Tract. 5. Resolut. 50. adducit P. Ferraninum id admittentem in vendente cenam volenti frangere ieiunium, aut etiam Idolum sacrificaturo, vel amantissimè imaginem picturo: stat omnium consensus, teste Lorca 2. 2. quæst. 10. art. 9. num. 5. dicentium nefas esse vendere ea, quæ per se ad infidelitatem conferunt, neque alium vsum habent, vt vestes Sacerdotales, Idola, eorum templa, Synagogas, & similia, quia hoc est prauis actionibus

Prima improbat, ex eo quod ames sit determinatus ad peccandum.

Male applicari doctrinam de non distincta malitia actus externi.

bus cooperari. Atqui juxta doctrinam dictam hæc essent licita, quia ea euentes jam sunt ad prauos actus à seipsis determinati, quia nullam malitiam inter nis addunt. Deinde, hic & nunc iste peccat: ergo & præbens peccati materiam hic & nunc etiam peccat. Item, sequeretur posse aliquem iurare alium ad occisionem alterius, quod dici vilo pacto nequit. Pater Sequela. Nam potest iste sibi verosimiliter persuadere, si ipse non iuret, alios, qui iurent, futuros ad quod à seipsis jam determinati sint. Licet ergo actus externus aliam malitiam non addat interno; in eius tamen doctrinæ applicatione error apertus committitur: quando enim quis post voluntatem, quam habet, occidendo aliquem, & sic de aliis, hic & nunc in actum homicidij prorumpit, alius est internus actus, quo hic & nunc se ad occisionem applicat, & ad illum adiuvat, qui ad externum cooperatur: non enim veller hic & nunc occidere, nisi haberet adiutorem. Male ergo doctrina illa de malitia non distincta actus externi applicatur. Videatur casus similis apud P. Arriagam Tomo 5. Disput. 49. num. 66. qui & nobiscum sentit. num. sequenti.

Secunda de non defensori qui veniat, expolitur.

147 Quoad Secundam autem insurgit P. Suarez Disput. 10. de Charitate Sect. 3. num. 2. P. Palaus Tomo 1. Tract. 6. Disput. 6. Puncto 10. num. 40. & alij, contra nonnullos, ex quibus est P. Thomas Sancius Lib. 1. Operis moralis Cap. 7. num. 16. & alios, quos adducit Pharaonius Tract. 1. Sessio 11. Casu 18. & Diana citato Tract. 7. Resolut. 38. vbi cum illis ait tantum esse culpam venialem, alio peccante mortaliter: quod equidem parum Theologicè dictum videtur: Nam aut mortale propter cooperationem ad mortale esse debet, aut nullum, eò quod reuera cooperatio non sit, quandoquidem etiam, tali actione non stante, non defineret peccatum perpetrari. Quæ consideratione possit sic materiam ministrans se tueri. Esse autem mortale probatur communiter, quia quod futurus sit alius venditor, est per accidens, & qui nunc vult emere, me negante, potest mutare voluntatem. Ad quæ dici potest, attentis circumstantiis posse certum esse moraliter venditorem de vtrouque, & ita hic & nunc non esse per accidens id, quod dicitur, sed voluntatem ementis esse talem, vt sit cum aliorum cooperatione infallibiliter morali connexa. Quod si contingat desistere, id potius per accidens dici poterit accidisse.

Tantum veniale in eo esse malum aliqui censent.

Communis ratio videtur infirma.

Validiores alie proueniunt.

148 Probo ergo. Quia moralis illa certitudo futuri peccati, non tollit obligationem non cooperandi ad illud: ergo propter illam immeritò negatur esse mortalem. Assumptum ostendo. Nam in ipso determinato ad peccandum, stante tali determinatione, est obligatio non exequendi illam: ergo etiam in aliis cognitio determinationis non tollit obligationem. Deinde, ratione nuper adducta: quia iste hic & nunc mortaliter peccat: ergo & mortaliter peccat etiam hic & nunc peccato cooperans. Præterea. Iste petens materiâ peccati peccat mortaliter: ergo & illam præbens. Consequentiâ ostendo: nam si non peccaret materiâ præbens, neque ille peccaret, qui eam postularer: quod enim dari sine peccato potest, sine peccato etiam peti ab eo potest. Tandem. Ego non pecco dum vendo, quia vendet alius. Tunc

sic. Ille alius peccabitne, an non? Peccabit certe; & ita videntur Auctores aduersi supponere. Atqui non aliâ ratione peccabit, nisi quia cooperabitur peccato istius: ergo & ego ob eandem rationem. Quin etiam, quod ex eo fiet non solum me posse vendere, sed etiam teneri, quia alterius peccatum debeo charitatis lege vitare. Ex quo manifestè sequitur contra Dianam nec peccatum veniale in eo interuenire, quia nullus ad peccandum etiam venialiter potest obligari, etiam si per illud alterius sit crimen quantumvis immane vitandum: quod tamen in casus contingentia numquam occurrerit: peccatum enim ad nihil honestum est vitale, cum bonum non sit.

Circa veniale veniale reuertitur.

§. V.

Circa nonnullos alios Indorum labores extrema Resolutio.

149 Dico octauo, pro cõstructione Ecclesiarum licite possunt Indi compelli, iustâ mercede signatâ sic Dom. Solorzanus supra Lib. 1. Cap. 6. & in Politicâ Lib. 2. Cap. 8. Constat ex dictis §. 1. Quia inter bona publica hoc locum debet habere præcipuum, cum humanis debeant anteferrî Diuina. Et in primis ad cõstructionem Ecclesiarum in propriis eorum oppidis, id est maxime conueniens; vt Indi rerum diuinarum singularem possint formare conceptum: sunt enim ea indole, vt externis hisce mirificè afficiantur, & vbi squalida & inamena sunt, eorum corda sordibus talibus hærescere videantur. Deinde, in Ecclesiis Cathedralibus idem congruit, in quibus non solum decencia, sed quædam debet spectari maiestas; tum ob earum præstantiam inter ceteras, tum ad excitandos Indorum spiritus, vt dudum dicebamus: tum denique vt obligati ad diuina officia in illis quotidie peragenda, id possint cum voluptate aliqua etiam sensibili peragere, & non solum corda, sed etiam caro, in Deum viuum exultare.

Assertio 8. de Constructione Ecclesiarum.

150 Dico nono. Pro ædificiis profanis idem stare potest, si publicè vtilitatis sint, & non priuatorum, neque alij suppetant, quibus fabrica possit promoueri. Ratio petenda ex dictis §. 1. & ex similitudine aliorum; de quibus §. 2. Quod autem de priuatorum ædificiis dictum, non debet in casu extraordinario intelligi, vt tuina publicæ ob terræ motus, quales vicia non semel, & hoc ipso anno 1657. Ciuitate Purèn, seu Cõceptionis, in Chilensi regno, solo penitus cõquata, vno perstante templo & domo Societatis nostræ, & vix quõpiam domicilio alio ruinam minitante: tunc enim bonum publicum id videtur postulare. Iustâ tamen, vt dictum sæpius, & Regiis inculcatur in schedulis, solutâ mercede; quam expediet à Magistratibus pro Indis, & operariis aliis, attentâ consideratione taxari, si non vltus ipse induxerit moderatam.

Assertio 10. de adificiis profanis.

151 An autem maior esse debeat, quàm aliorum temporum, dubitari meritò potest; quia raritas pretium auget, iuxta commune Doctorum effatum, & in his occasionibus difficilior inueniuntur operarij ob multitudinem operatum. Aliunde autem inhumanum, & à charitate Christiana

Ciuitas Purèn, seu Cõceptionis.

Circa mercedem ruinarum tempore difficultatibus.

